

Dissertatio de religione Plutarchi

Autor(en): **Zimmermann, J.J.**

Objektyp: **Article**

Zeitschrift: **Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum**

Band (Jahr): - **(1749)**

Heft 15

PDF erstellt am: **19.09.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-394651>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

Haftungsausschluss

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

Differtatio

De

RELIGIONE PLUTARCHI (*)

Auctore

J. J. ZIMMERMANNO.

Sect. I.

INter Viros Eruditos, qui post tempora *Christi Salvatoris* Romæ, magnam Eruditionis laudem consecuti sunt, merito referendus est *PLUTARCHUS*, Vir vastissimæ lectionis, acris judicii, disciplinarum cum primis philosophicarum peritus, idemque gravis & modestus. His virtutibus Eum eluxisse, haud dubitabunt ii, qui non oscitanter hunc Auctorem evolverunt. Quamquam autem summo studio & incredibili diligentia, Literis philosophicis cum primis, vacaverit, omniumque veterum Philosophorum opiniones ad unguem calluerit, nulli tamen Sectæ ita nomen

(*) Græca testimonia ad sententiam nostram comprobendam evitandæ prolixitatis causa non adduximus. Qui amore Historiæ Philosophicæ capitur, & cujus interest accuratam habuisse notitiam Eorum, quæ Plutarchus de rebus divinis, religioneque statuit, me non hortante fontem græcum adibit; Cæteri Lectores quorum maxima pars est, ex versione latina duntaxat, præcipuorum articulorum Religionis quibus subscripserat Plutarchus, notitiam sibi comparare poterunt.

nomen suum dedit, animumque addixit, ut quando de veritate agi videretur, iudicio & examine neglecto, temere aliorum sequeretur Sententias. Parum illi placebant *Epicuri & Stoicorum* decreta; *Aristotelem & Platonem* pluris faciebat, non ita tamen, ut omnes Eorum opiniones adprobaret. Quemadmodum autem fieri solet, ut illi, qui nulli parti addicti sunt, ab iis, qui *πυξ και λαξ* opiniones quasdam a Præceptoribus traditas defendunt, odio habeantur; ita similiter iratos sentire debuit contra se quorundam animos. Accusatus est a quibusdam quasi *Numinis Existentiam & Providentiam* in dubium vocasset; alii contendebant, Eum credidisse, *opinionem de Numine a Viris quibusdam Politicis inventam, atque confictam.* Dispiciendum igitur est, quid de præcipuis *Religionis naturalis Capitibus* senserit Vir *πολυμαθεστος*.

II.

Antequam autem id fiat, in antecessum proferam, quid de Superstitione, ejus natura, atque effectibus, dixerit *Chæronensis*. In *Libello de Superstitione* pag. 163. contendit, primam Atheismi & Superstitionis causam esse, *Ignorantiam & inscitiam Deorum*; prius facere, ut homines plane abjiciant opiniones de Numinis existentia, posterius, ut pessime de iis sentiant. *Inscitia* (inquit) *Deorum atque ignorantia jam inde ab initio in duos quasi rivis dimanans, ab una parte in duris ac refractariis ingeniis, tanquam in aspero solo Impietatem, quæ nullos putat esse Deos, ab altera veluti in molli ac tenero solo superstitionem animis lenibus ingeneravit.* Pagina sequenti ait; scopum Impietatis esse *metus vacuitatem, superstitionis cultum* maximo cum me-

tu conjunctum. *Ac videtur is (inquit) qui nullos putat esse Deos (quem Impii voce intelligi volumus) nihil moveri Numinis mentione; superstitiosus autem moveri quidem, sed perversè. Illi enim ignorant, ne credat esse quod prodest, confert: huic id ipsum, ut credat esse damnosum. Ergo impietas opinio est falsa, superstitionis affectus animi ex errore ortus.* Pag. 168. recte observat, non contemplationem Universi, ejusque aptam dispositionem, homines in eam deduxisse opinionem, ut nimirum credant, nullo Rectore tantum opus regi, sed superstitionem potius, pestilentissimi erroris causam esse. Rectissime hoc dictum est; quanquam enim metaphysicæ speculationes, præsertim in materia de origine mali, ad impias opiniones fovendas aliquid sæpe conferre possint; certum tamen est, Superstitionem, inepta Religionis decreta, passim publice præscripta, & quæ cum his conjuncta esse solent, magis homines in hoc impietatis barathrum præcipitare. Verba Plutarchi ita sonant: *Præterea Impius nusquam Superstitioni causam aliqua ex parte præbet: Superstitio & initium præbuit impietati, & ortæ patrocinium, non justum quidem aut honestum, tamen præscriptionis non excors. Non enim in hanc sententiam homines venerunt, ut Universum Diis carere putarent, quod in cælo, sideribus, tempestatibus, conversionibus & motibus solis circa terram, quibus & dies & nox consciuntur, aut alimentis animalium frugumve proventibus, culpandum aliquid inordinatumve viderent: Sed ridicula Superstitionis opera atque effectus, verba, motus, præstigis, incantationes, circumcursitationes tympanorum, pulsationes, lustrationes impuræ, sordidæ castimonie, barbarica & injusta in Templis supplicia ac contumelia, occasionem*
 exhibi-

exhibuerunt, nonnullis dicendi, præstare nullos esse Deos, quam qui talia probent, iisque delectentur, adeoque sint contumeliosi, sordidi & morosi. Hinc concludit pag. sq. Superstitionem tanquam pestem esse fugiendam, non ita tamen, ut simul omnem Religionem tollamus. Fugienda itaque, (inquit) est Superstitio, non tamen eo modo, quo nonnulli Latronum aut ferarum insultum, ignemve inconsiderate & imprudenter fugientes, incidunt in loca invia, ubi præcipitia sunt & voragines periculosa. Libello de Isid. & Osirid. pag. 356. postquam stultas Aegyptiorum opiniones de Religione adduxisset, atque benigne interpretatus esset, addit: Hac itaque ratione ea, quæ dicuntur de Diis inaudiens, atque accipiens ab iis, qui fabulam pie ac philosophice interpretantur ritusque sacrorum legitimos obiens & servans perpetuo, ac statuens nullum Diis te sacrificium, nullum præstare officium posse, perinde gratum, ac si de iis recte sentias, non levius Impietate vitium, superstitionem evitabis. Similiter in libello: Ne suaviter quidem vivi secundum Epicurum, pag. 342. qualis metus Deorum esse debeat aperit: Equidem (inquit) oportet omnino opinioni de Diis superstitionem tanquam oculo lemmam adimere: quod fieri cum possit, non est una cum superstitione excidenda aut excæcanda fides, quam de Diis plerique habent. Ea autem non est horribilis quædam aut tetrica persuasio, qualem isti fingunt, calumnia Providentiam impetentes, quæ hominibus tanquam pueris ingruat, aut supplicio scelerum tragico sit inscripta. Verum pauci homines Deum ita timent, ut non præstet non timuisse. Qui autem eum timent, ut Principem bonis benignum, malis infestum, uno illo metu liberati a studio peccandi, neque multis opus habent Liberatoribus, cum malitia apud ipsos paulatim
quasi

quasi contabescat, minus animo conturbantur, quam qui indulgent vitiis, audentque scelera, ac statim deinde metu & penitentia corripuntur. In eodem libello de Superstitione, instituta comparatione Impii cum superstitioso, feliciorum esse longe Impium quam superstitiosum contendit: Ex quibus patet, Plutarchum, acerrimum fuisse superstitionis hostem. Animus erat ad singula lemmata instituti a Plutarcho parallelismi inter Atheos & Superstitiosos aliquid monere; at cum cogitarem, prolixè de his egisse P. Baylium, & qui ejus sententiam examini subjecerunt, neque confecto quam maxime negotio, rem esse magni momenti perpenderem, abstinui, præsertim cum nonnisi proluxa oratione quæstioni lux adferri possit, diversæ certe essent instituentæ comparationes inter Atheos & Superstitiosos, habenda ratio ingenii, temperamenti, opinionum, utilitatis denique vel damni ex utroque errore in Rempublicam redundaturi &c. Quod si tandem pateret, in quibusdam casibus præstare Impium superstitioso, in aliis superstitiosum præferendum impio, quæ tandem utilitas ex resolutis hoc problemate in Rempublicam vel Ecclesiam redundaret? Certum est, utrumque errorem Societati multum nocere. Hoc sufficit. Omnes autem, & singulas differentias inter Atheum & Superstitiosum per omnes possibiles casus ostendere, neque necessarium, neque adeo facile est. Optassem, ut Baylius, quo erat ingenio, excellenti nimirum præditus, prolixi examinis loco, de hoc argumento instituti, libellum & contra Superstitionem & contra Atheismum conscripisset, præsertim cum haud ignoremus, multos, qui audiunt, Atheismum præstare Superstitione,

ditione , in suam perniciem hoc trahere. Cæte-
rum idem *Plutarchus* tamen simul dum contra *Co-*
lotem disputat pag. 807. mala , quæ ex negata
Providentia emergere solent , pluribus exponit.

III.

Restat , ut inquiramus , quid de Deo rebusque
divinis senserit *Plutarchus*. In genere observamus ,
Plutarchum agnovisse , necesse esse ut in origine
adspectabilis rerum universitatis explicanda præter
materiam Causam efficientem quæramus. De *pla-*
cit. Philosoph. Lib. 1. occasione *Anaximenis* ait , ne-
fas est , solam materiam ut principium omnium rerum
subsistere , ex eaque nosci omnia , sed & effectrix Causa
ponenda est. Neque enim argentum sufficit ad poculi
ortum , nisi etiam faber accedat argentarius , qui id
conficiat. Idem de ære , ligno , & alia quavis intelli-
ge materia. Et ne quis Causæ efficientis nomine
materiam ipsam intelligat , laudat *Anaxagoram* ,
qui materiæ adjunxerit mentem , dicens : *Hic lau-*
dandus est , qui materiæ artificem adjunxerit. Deum
autem ipsum materiæ expertem , perspicue satis
fatetur de *Iside* & *Osiride* pag. 372. Non enim De-
us res est , (inquit) animæ expertis , & manibus ho-
minum subjecta , aut obnoxia ; sed Deos inde censui-
mus esse , quod ii nostris usibus res perpetuas atque per-
durantes largiti sunt. Neque vero alii apud alios sunt
Dii , aut sui Græcis , Barbaris item sui , alii Septentrio-
nalibus , alii austrinis. Sed quemadmodum Sol , Lu-
na , Cælum , Terra , Mare , communia sunt omnibus ,
tantum aliter ab aliis appellantur : ita unius Mentis hoc
universum temperantis , uniusque Providentiæ huic præ-
fectæ & facultatum administrarum , omnibus rebus de-
stinatarum , alii apud alios honores , alia nomina , le-
gum

gum instituta habent, notisque utuntur obscurioribus iis, qui Sacris sunt dedicati, alii apertioribus intellectum ad divinas res quasi manu deducunt, quæ res periculo non vacat. Nonnulli enim a recto itinere deviantes prorsus in Superstitionem delapsi, alii fugiendo, ut par erat, Superstitionem, imprudentes in præcipitium quasi quoddam, impietatem delati sunt. Itaque oportet apprime ratione e Philosophia desumpta, quæ nos Sacris initiet, sancte eorum, quæ aguntur, dicunturque, unum quodque considerare &c. Duo hic notanda sunt, falsum primo est, Deos Barbarorum, seu Orientalium populorum eosdem fuisse, quos Romani & Græci coluere. Scio quidem *Macrobius* in eo fuisse, ut probaret, omnes Deos Gentium ad unum Solem revocandos; at vix persuadebit illis, qui norunt, quantum moribus, ingenio, & opinionibus distincti fuerint *Orientis Populi* a *Græcis* & *Romanis*: Verum ab altera parte est iudicium *Plutarchi*, contententis optimam contra *Atbeismum*, & præjudicatas opiniones medicinam esse accuratam *Philosophiæ Studium*. Sine accurata *Philosophiæ* cognitione, *Theologus* Patrum sententias, falsissimas etiam aliquando, defendet, atque ab altera parte hæreses animadvertet, ubi nemo, ne perspicacissimus quidem quicquam odorari posset. At hæc frustra inculcantur iis, qui *Philosophiam* omnium errorum fecundissimam matrem esse putant. De *Oraculorum defectu* pag. 269. Cum *Stoicis* unum duntaxat *Mundi* admittit *Rectorem*. Et vero (inquit) *Stoicos* novimus non modo de *Geniis* in eadem nobiscum sententia esse, sed etiam de *Diis*, quorum tantum statuunt numerum, unum duntaxat æternum, interitusque expertem, reliquos & natos & obituros censuere. Idem eleganter hanc persuasionem

tanquam remedium contra exilii tristem metum adfert, de Exilio p. 550. Et Socrates melius (inquit) qui non Atheniensem, non Græcum, sed mundanum seu Mundi Civem se esse dixit. Noluit enim sic a Patria ista appellari, quomodo Rhodius, aut Corinthius aliquis diceretur; neque se inclusit Sinio Tænaro, aut Cerauniis montibus.

*Vides sublime fuscum immoderatum æthera
Qui tenero terram circumvectu amplectit.*

Isti patriæ nostræ sunt termini, neque heic quisquam exsul, hospes, & peregrinus est, ubi idem ignis, aqua, aër; ubi iidem Governatores atque Dispensatores, Sol, Luna, Lucifer; ubi eadem omnibus leges, sub eodem Magistratu, Solstitium æstivum, Bruma, æquinoctium, Pleias, Arcturus, tempora ferendi, tempora plantandi; ubi unus Rex & Princeps Deus, principium, medium, finemque complexus universi, recta pergit & secundum naturam circumiens. pag. 280. de Oraculorum defectu, ait, Utrumque errare, tam qui in naturalium rerum causis indagandis Causam finalem omittat, quam qui posthabitis causis naturalibus omnia in solidum Deo adscribat. In Universum enim (inquit) cum quivis ortus duas habeat causas: antiquissimi Theologi atque Poetæ soli præstantiori animum advertere dignati sunt. Scilicet commune hoc omnibus rebus accinentes.

Principium Jupiter, medium Jovis, Omnia ab ipso: ad naturales autem & necessarias causas nunquam accesserunt. His posteriores, quibus Physicorum nomen fuit inditum, diverso a prioribus instituto, a pulcherrimo illo & divino aberravere principio, omnia corporibus eorumque perpeffionibus, collisionibus, mutationibus,

bus, mixtionibus accepta ferre voluerunt, quo fit, ut utrorumque ratio imperfecta sit. His per quem & qua propter, illis e quibus rebus & ob quas caussas factæ sint, ignorantibus, aut saltem non exponentibus. Enimvero is, qui primus liquido utrumque caussarum genus attigit, certa que ratione efficienti, & moventi caussæ adjunxit, subjectum, necessario motionum capax, is quoque nos omni sinistra suspitione & calumnia exonerat. De Iside & Osiride pag. 372. dolet, nomina Deorum rebus frugiferis imposita, postmodum turpissimæ Superstitioni locum præbuisse. Sicut nos eum (ita citato loco) qui libros Platonis emit, emere Platonem dicimus, & Menandrum agere, qui poëma Menandri agit: ita illi nomina Deorum liberaliter donis ac operibus Deorum tribuerunt, ob utilitatem ea honorantes, atque exornantes. Sed posterius horum indocte ista accipientes imperiteque in ipsos Deos detorquentes ea, quæ frugibus accidunt, alias exoriuntibus alias occultatis, Deorum ortus interitusque non vocando duntaxat, sed etiam sic habere rem arbitrando, se ipsos absurdis, impiis, tumultuosisque opinionibus obruerant. In sequentibus hoc cum primis exemplo Ægyptiorum illustrat. In eodem hoc libello pag. 374. recte docet, omnia, quæ præstantia sunt in hoc mundo, animata & inanimata, tanquam Speculum divinæ sapientiæ habenda. Proinde (inquit) cum Philosophorum probatissimi conspectam aliquam occultam Dei imaginem ne in animæ corporisque expertibus quidem rebus neglexerint, aut contemnendam senserint, multo nisi fallor pluris faciendæ sunt, quæ in sensibilibus animatisve proprietates eo pertinent, eorumque adfectionibus & motibus. At enim probandi sunt, non qui isthæc, sed qui per hæc Numen venerantur, istaque recte habentur pro speculis clarioribus & a natura suppeditatis,

tanquam instrumenta & artificia Dei , universa ornantis. In Libello ad Principem indoctum pag. 483. Deum ipsam Justitiam & bonitatem esse fatetur : Quod si conjecturis (inquit) hæc sunt examinanda , non profecto Jovi justitia assidet , sed ipse jus & fas est , ac omnium legum antiquissima & perfectissima. Neque possum quin elegantissima ipsius , de vera imagine Principis alicujus docti & prudentis verba addam. Quale vero (inquit hac eadem pagina) elegantissimum in Cælo simulacrum sui Deus Solem & Lunam infixit : tale in Civitatibus ejus Exemplum est atque lumen Princeps ,

Jura, Dei similis , qui dat mortalibus æqua.

Scilicet recta præditus ratione , idque habens divinum , non sceptrum , non fulmen , non tridentem , quomodo nonnulli se pingi ac fingi jubentes , stultitiam suam invidiæ exposuerunt , dum affectant ea , quæ consequi nequeunt ; succenset enim Deus tonitrua & fulmina radiorumque projectus imitantibus : qui vero virtutem ipsius æmulantur , & honestate humanitateque , ipsum referre conantur , hos , studio eorum delectatus , auget , suaque eos æquitate , Justitia , veritate , ac mansuetudine impertit. Quibus nihil est divinius , non ignis , non lumen , non solis cursus , non syderum ortus atque obitus , non ipsa perpetuitas atque æternitas : non enim obtempus vitæ beatus est Deus , sed virtutis principatu. Deum , cum Materia non esse comixtum eodem in libello docet dicens : Non enim probabile est , neque convenit (quod nonnulli Philosophorum putant) Deum permixtum esse materiæ , omnia sustinenti , & infinitas rerum necessitates , casus , mutationesque , perpetienti , sed nobis supra alicubi apud naturam sempiternam , eodemque semper modo affectam , collocatus ,
supra

Supra Sacra (ut ait Plato) fundamenta , recta secundum naturam proficiscens ad finem pergat. Amorem Dei & Parentum primum esse præceptum docuit in libello de Fraternali Amore pag. m. 430. Mitto alia loca , quæ hinc inde ex operibus ejus collecta ad probandam Numinis existentiam adferri possent ; ita præclarus locus extat in Vita Aristidis pag. m. 138. sq. Conferatur Clerici Bibliothecæ Choisiæ Tom. 3. pag. 40.

Quamvis autem magnifice de Deo erat locutus , Imperiumque ejus in omnia agnoverat ; *materiæ tamen æternitatem simul strenue defendit. Neque ipse tantum huic opinioni erat addictus ; sed & in libello , de Iside & Osiride contendit , Veteres Theologos plerosque ea opinione fuisse imbutos. Probarunt hoc satis inter Modernos Viri doctissimi. Vide libellum τὸ Μακρίστου Cl. Wolfii & singularem Dissertat. Celeb. Moshemii de hoc argumento scriptam. Ipse Plutarch. de hoc argumento ita loquitur : Vetustissima proinde a Sacrarum Professoribus rerum & Legum latoribus derivata est opinio , auctore incognito , fide firma & indelebili , non in sermonibus ea tantum & rumoribus , sed & in Mysteriis ac Sacrificiis tam barbaris quam Græcanicis extans ; neque casu ferri , & a fortuna pendere Universum , mente , ratione ac Governatore destitutum ; neque unicam esse rationem , quæ contineat id & dirigat , tanquam clavum aut frena moderans ; sed cum permulta e bonis juxta malisque sint confusa , imo nihil hæc natura sincerum (ut verbo dicam) proferat non esse unum aliquem promum , qui e duobus doliis res nobis ve-*

luti aliquem liquorem cauponis in morem distribu-
at, atque misceat. Ergo a duobus principiis con-
trariis, adversisque duabus facultatibus, quarum
altera ad dextram & recta ducat, altera retror-
sum avertatur, atque reflectat, cum vitam esse
mixtam, tum ipsum mundum (si non univsum,
eum saltem, qui ad terram est, & Lunæ subjacet)
inequaliter ferri, variisque & omnis generis moti-
bus agitari. Si enim nihil absque causa fit, &
mali causam bonum non præbet: necesse est in na-
tura ut boni, ita etiam mali ortum peculiarem,
suumque principium extare. Atque hæc quidem
sententia plerisque & iisdem sapientissimis probatur.
Similiter in Timeo pag. 628. inquit: Præstat ita-
que Platonis sententiam sequi, atque hoc & dicere
& canere, mundum a Deo esse factum. Nam &
Mundus omnium operum est pulcerrimum, & Deus
omnium causarum præstantissima. Substantiam au-
tem & materiam, ex qua factus est mundus, non
natam, sed semper subjectam Opifici disponendam
se, & ordinandam, adque ipsius Similitudinem,
quantum ejus fieri potest effingendam præbuisse. Non
enim ex eo, quod nihil esset, extitit mundus; sed
ex eo, quod non pulchre, non recte, aut perfecte
esset, quomodo fiunt Vestis, Domus, Statua. Ex
omnibus apparet, Plutarchum de materia illa æter-
na non aliter loqui, quam de Subjecto, in quod
Deus potestatem suam, atque Dominium exerce-
ret. De Deo autem non aliter, quam illi, qui
omnia ab Eo condita credunt, ubique differit.
Ponit enim in æterna illa materia naturam quan-
dam ratione carentem, & maleficam inordinatis,
atque

atque turbulentis motibus brutam illam materi-
am cientem ; Deus vero ex mente *Plutarchi* non
solum materiam rudem & inertem in ordinem di-
gessit , exornavitque ; Sed & animam illam male-
ficam ita emendavit , ut inde totius mundi admi-
randa pulchritudo prodiret. Videatur liber ejus,
cujus titulus *Psychogonia* passim , conferantur simul
quæ ad hanc materiam illustrandam congeffit Ce-
leberrimus *Moshemius* in notis ad *Cudworthum*.
Tom. I. pag. 233. sq. Difficultates vero , quæ po-
sita hac materiæ æterna existentia oriuntur fuse
ostendit *P. Baylius* cum in *Lexico* , tum alibi.

IV.

Pergamus visuri , quid de *Providentia* senserit
Vir doctissimus. In genere notandum , quod non
semel *Epicureos* Providentiam Dei negantes refuta-
verit. Ita de *Oraculorum defectu* pag. 269. ait :
*Neque metuenda sunt nobis Epicureorum sanne at-
que risus , quibus etiam adversus Providentiam uti
non verentur , dum eam fabula titulo irrident.
Nos fabulae nomen rectius competere dicimus in in-
finitatem eorum , quæ de tot mundis nullum habet
divina gubernatum ratione , sed omnes casu ut na-
tos , ita etiam constantes.* In Libello , non posse
suaviter vivi secundum Epicurum pag. 343. conten-
dit , *Epicuri* Sectatores nullum solidum rebus in
adversis solatium habere posse ; præmittit primo
egregiam *Hermogenis* sententiam , quæ talis est :
*Hi , (de Diis loquitur) qui & sciunt omnia , &
possunt omnia , ita mihi sunt amici , ut propter
curam , quam pro me gerunt , nunquam eos late-
am , neque noctu , neque interdiu : quamcunque*

rem adgrediar, aut acturus sum, utque prescire possim exitus singularum rerum, eos mihi significant, mittendis nunciis suis, ominibus, somniis, auguriis. Consentaneum quidem est pulchra esse quae a Diis veniunt. Sed hoc ipsum suggeri a divinitate magnam voluptatem conciliat fiduciamque immensam, & animi elationem ac gaudium veluti arridens bonis. Aliter affecti, rerum secundarum suavissimum quod est mutilant; in adversis, quo se avertant, nihil sibi faciunt reliqui: sed fortuna urgente ad dissolutionem & sensus vacuitatem tanquam unicum refugium & portum respiciunt. Perinde ac si tempestate in mari agitatum aliquis consolaturus sic dicat: Neque Gubernatorem habet navis tua, neque ipsi Castores suo superventu emollient vim maris ingruentis, celeresque ventorum impetus: nihil tamen mali est: jam jam enim navim mare deglutiet; aut statim ad scopulos ejecta conteretur. Talis enim plane Oratio est Epicureorum in morbis atrocibus & doloribus ingentibus. Speras aliquid boni a Diis ob tuam pietatem? animo es inflato: beata enim & interitus exsors natura, neque gratia capitur neque ira. Melius aliquid post vitam oblatum iri sentis, quam in vita? in errore es; quod enim dissolutum est sensu caret. Quod sensu caret nihil ad nos. In Disputat. contra Colotem pag. 807. contendit, Epicuri cogitata Societatis humanæ vincula solvere, ita autem ait; Atqui in legum constitutione, ob quam Colotes laudat, primum est & maximum de Diis opinio; quamobrem & Lycurgus Lacedaemonios & Numa Romanos & Jon Antiquus Athenienses & Deucalion Græcos fere uni-

universos Diis consecraverunt, Votis, Sacramentis, Vaticiniis, omnibusque eos ob spem ac metum Diis deditos obnoxiosque reddentes. Et si terras obeas, invenire possis Urbes muris, Litteris, Regibus, Domibus, Opibus, nomismate carentes, Gymnasiorum atque Theatrorum nescias: Urbem Templis, Diisque carentem, quæ precibus, jure jurando, Oraculo non utatur, non bonorum Causa sacrificet, non ob mala sacris nitatur nemo unquam vidit? Sed facilius Urbem condi sine solo posse puto, quam opinione de Diis penitus sublata Civitatem coire aut constare. Cæterum id, quod continet omnem Societatem, omnium legum fundamentum est, illi non per ambages & obscure & perplexa ratione, sed palam subvertunt prima suorum maxime ratarum Sententia prolata. Hic Stoicos sequitur Plutarchus, qui omnium acerrime Epicureos impugnarunt; inter eos eminent Arrianus. At directe probemus Providentiam ab Eo admissam. In Libello cur Oracula defierint, contendit, plures esse mundos, quibus tamen Unicus Rex Deus nimirum, præsit. Quæ necessitas, ait, cogit multos esse Joves, si plures sint mundi, non singulis præesse Principem Universi Deum Mente ac ratione præditum, qualis est qui a nobis Dominus omnium ac Pater cognominatur? Aut quid obstabit, quominus Jovis fato ac Providentiæ omnes ii obediunt, isque singula inspiciat ac dirigat singulis præbens initia, semina ac rationes eorum, quæ peraguntur. Cum enim in rebus humanis sæpenumero unum aliquod corpus ex diversis corporibus constet, quorum per se quodvis vivat, intelligat, sentiat, ut

est concio , exercitus , ut Chorus , quod & Chrysippo
 visum fuit , in universo nefas nequaquam putandum
 est , esse mundos X. L. aut C. qui omnes una regantur
 Mente , & ab uno pendeant principio. Imo vero ad-
 modum Deos decet talis dispositio. . . Hæc vero
 nisi fallor magnificentior est , & Majestati Deorum affi-
 nior sententia , esse eos liberos , neque alieno subjectos
 Dominio. Utque Castores auxilium jactatis tempestate
 ferunt suoque adventu

Leniunt fluctus celeresque Ventos ,

non ipsi simul navigantes , aut in eodem versantes peri-
 culo , sed ab alto supervenientes ; ita eos alium alias in-
 visere mundum cum contemplationis ductos jucundita-
 te , tum quod sua natura singulorum gubernationem
 adjuvant. Qualis autem illa persuasio de Provi-
 dentia Dei esse debeat docet pag. 342. Ea autem
 non est horribilis (inquit) quædam aut tetrica persua-
 sio , qualem isti fingunt calumnia Providentiam impeten-
 tes , quæ hominibus tanquam pueris ingruat , aut sup-
 plicio scelerum tragica sit inscripta. Verum pauci homi-
 nes Deum ita timent , ut non præstet non timuisse. Quæ
 autem eum timent ut Principem bonis benignum , malis
 infestum , uno illo metu liberati a studio peccandi , ne-
 que multis opus habent liberatoribus , cum malitia apud
 ipsos paulatim quasi contabescat , minus animo contur-
 bantur , quam qui indulgent vitiis , audentque scelera
 ac statim deinde metu & pœnitentia corripuntur. In
 hanc Plutarchi sententiam nostra ætate concessit ,
 Vir Elegantissimi ingenii , Illustris Schafisburius in eru-
 dito libello de *Enthusiasmo* , contendens , mul-
 tum ad verum Dei cultum animis hominum in-
 generandum , & latius proferendum facere ; si
 homines sereno animo de Deo cogitent eumque
 sibi ,

sibi, ut optimum, mitissimum, mortalium cupidissimum, non vero tetricum, & severum concipiant: Diffiteri haud possumus, duras oppido & rigidas quorundam sententiās efficere, ut vix unquam sine horrore de Deo cogitare possimus. Si eos audias, actum est de te, nisi minutissimas opiniones credas, & vel in minimis erres; Deum semper ut iratum, & vindictas exerciturum ob oculos ponunt; quasi vero quales homines fuerit, ignoravisset, aut similis esset inepto Praeceptorum, qui a pueris suis, nescio quæ subtilia theoremata exspectaret. Interim hoc non obstante, eum justum pariter esse contra contumaces reticendum non est; non enim omnes mortales ejusdem sunt naturæ; quidam enim metu poenæ in officio volunt contineri; Medium hic tenendum est publice docentibus, imo omnibus qui de Deo & Religione recte sentire volunt. Quemadmodum præcepta pie vivendi ad *Jesuitarum* quorundam gustum instituta nihil valent; ita ab altera parte parum aut nihil promovebunt veræ pietatis studium, qui omnia officia Christianorum ita proponunt ut nemo iis *satisfacere* possit. Quando igitur sequenti 343. pagina insolitam Dei bonitatem multis laudibus extollit, a Deo autem omnem iram proscribit, sine dubio talem intelligit iram qualem homines vindictæ cupidi in se deprehendere solent. Interim præclara sunt, quæ de Dei insigni erga probos *Beneficentia* narrat.

V.

Secundum argumentum, quo probamus *Plutarchum* providam Dei circa omnia curam agnovisse, repetimus ex rationibus, quas in examine quaestionis

tionis , *cur sero mali a Deo puniantur* , adducit. In genere pag. 377. fundamenti loco ponit : *Deo soli aptissimum pœnæ de hominibus sumendæ tempus cognitum esse.* Nam cum perdifficile sit (inquit) homini plebeio consilium medici deprehendere , quod secutus , non ante , sed post sectionem adhibuit , neque heri lavit ægrotum , sed hodie : certe de Deo non facile aliud quicquam firmum homo pronuntiabit , quam Eum , ut qui optime opportunum medendi flagitiis tempus habeat cognitum , medicamenti instar pœnam sceleri cuiusvis imponere , neque eadem in omnibus magnitudinis mensura , neque eodem temporis articulo definitam. Primam deinde Causam cur Deus sero puniat in eo quærit , quod nimirum Deus nobis Exemplum bonitatis & misericordiæ erga alios exercendæ dare velit ; Propterea (inquit) Deus malis interposita mora ac tarde pœnas infligit , non quod vereatur , ne accelerando supplicio erret aut committat cujus pœnitentia aliquando ducatur , sed ut in vindicandis aliorum peccatis sævitiam & vehementiam nobis hoc exemplo suo eximat ; docens non per iram , aut cum maxime fervet aut palpitat

Animus super rationem se saltu efferens

tunc nos debere quasi famis , sitisve replendæ gratia invadere in eos , qui nos irritaverunt : sed imitatione ductos ejus mansuetudinis & cunctationis ordine & accuratone , adhibito temporis spatio in Consilium , quod minime locum parabit pœnitentiæ , ad puniendum nos conferre. Satis prudenter in hoc negotio versatur Plutarchus , & majori cum reverentia hoc argumentum tractat quam multi inter Christianos , qui de Dei agendi rationibus erga mortales inconsulte sæpe philosophantur. Prima illa ratio , quam adducit Plutarchus non est exigui ponderis. Lenitas enim animi , & tolle-

tollerantia ad mutuum inter homines amorem promovendum multum potest conferre. Certe si Deus ἐπ' αὐτοφώρῳ homines puniret non solum totum fere genus humanum esset delendum, sed & inducerentur homines, ut posita omni tollerantia ad vindictam de aliis sumendam essent promptissimi, paratissimique. *Secunda ratio est: Ita penitentiae locum hominibus concedi. Humanæ (inquit) pag. 370. malefactorum ultiones legitimæ id duntaxat habent, quod vicissim ægre faciunt, repositoque maleficio substituunt, neque ulterius progrediuntur; quæ Causa est, quod delicta canum instar cum latratu prosequuntur & facinora extemplo ulciscuntur. Atqui Deum credibile est, quamcunque vitio captam animam justo suo iudicio aggreditur, ejus motus perspicere, sicubi ad penitentiam inflectuntur, tempusque correctionis largitur iis, quorum non extrema est & incurabilis nequitia. Idem denique Exemplorum inductione probat. Hæc etiam ratio non est spernenda. Si levissimi errores quos parum cavet natura humana, statim pœna, eaque insigni adficerentur, implacabile, & valde tetricum Numen crederent mortales, quod certe omnem amorem Numinis ex animis eorum evelleret; Neque enim eum magni facere possumus, qui ne levissimos quidem in nobis lapsus ferre potest. Si graviora peccata statim puniret Deus, prohiberet, quominus illi Mentem mutare possent, quod tamen sæpissime factum esse experientia docet. Fatendum tamen est, nos hac in parte non omnibus dubiis, quæ occurrere possunt, satis facere posse. Nobis homuncionibus videtur aliquando utile esse, si Deus homines vitiis omnibus deditos, & sanctissimarum Legum irrisores, inusitata quadam ratione puniret, putamus*

tamus enim ita aliis terrorem incussum atque a peccatis in posterum eos absterritum iri. Pag. 379. circa finem tertiam adfert rationem nimirum seram malorum poenam aliis prodesse: legem (inquit) Aegyptiam nonne videntur recte quidam Graecorum descripsisse, quae jubet gravidam, si mortis fuerit damnata asservari donec pariat? plane assensum ab iis est. Tum ego, quid si praegrans aliquis non sit, sed progressu temporis actionem aut Consilium arcanum in lucem possit producere, aut occulti alicujus mali indicium deferre, vel salutaris Auctor fieri consilii aut necessarii usus inventor, nonne rectius facit, qui delato supplicio eam utilitatem operitur, quam qui mature eum interficiat. - - Nimirum Deus quibusdam malis, tanquam Carnificibus usus est, ad sumendas de aliis malis poenas, quod verum esse de plerisque Tyrannis arbitror. At & hic agnoscenda est ingenii humani imbecillitas in reddendis consiliorum divinatorum rationibus. Primo enim homines mali, non eum in finem in alios grassantur, ut eos emendent, sed ut turpissimis cupiditatibus faciant satis: at servare hominem poena dignissimum, ut pravis animi studiis frænum laxare possit, vix videtur Deo esse dignum. Secundo ita semper innocentissimi communibus involvuntur malis, neque sine miraculo fere fieri potest, ut boni communem calamitatem effugiant. Tertio, mali ipsi vix unquam credent violentas aliorum hominum persecutiones eum in finem fieri, ut ad meliorem redeant frugem. Quarta Ratio Plutarchi petita est, ab opportunitate sumendae poenae. Nonne autem (inquit) pag. 380. sic statuendum est, tempore, & modo, convenienti irrogatas poenas praestare celeriter ac subito immissis? At quaeritur utrum fera, & diutissime dilata poena sit semper opportunissima?

ma ? mali non solum per longum temporis intervallum turpissimis peccatis se contaminant, sed & ut alii peccarent in causa fuerunt. *Quinta ratio est, simul cum vitio poenam existere.* Refert deinde terrores, metus, somnia hominum poena dignissimorum; verissimum est, cum quibusdam peccatis poenas esse conjunctas, at in omnibus hoc fieri certum non est. Sunt homines, qui sine pudore in quævis mala ruunt, & vix est peccati genus, quin cum aliqua sit conjunctum delectatione, non omnes sentiunt illas conscientiae lacerationes. Quod si hoc argumentum in genere consideratum aliquid valeret, sequeretur nemini prorsus poenas esse infligendas. Ex hisce satis patet *Plutarchum* divinam Providentiam in dubium minime vocasse.

VI.

Patebit autem hoc amplius, si rationes, quibus in *libello de consolatione ad Apollonium* usus est, perpendamus; adducemus autem eas solas, quæ a voluntate Numinis petitiæ sunt. *Prima Ratio*, quæ quidem ad nostrum facit scopum, pag. 120. *petita est ab eo, quod nempe is, qui vitam dederit eandem repetere possit, sicut (inquit eleganter) qui argillam tractat fingere ex ea animalis formam potest, rursumque diffingere, iterumque ac quoties libet perpetuo vices istas repetere: sic etiam natura ex eadem materia olim avos nostros, postea Patres protulit, deinde nos ac deinceps alios ex aliis evolvet.* Tu lector memor sis Similitudinis, qua utitur Paulus ad Rom. Cap. IX. v. 21. *Secundum argumentum* cur mors pro malo habenda non sit, est; quod *Mens per mortem in libertatem sit ventura.* *Beatum (inquit) liberari a servi-*

servitute carnis & affectionibus eam comitantibus , quæ
 Mentem occupant ac stultitia humana implent. Innu-
 meras inquit Plato , nobis facessit molestias corpus , ob
 victus sui necessitatem , quod si præterea morbi aliqui
 incidunt , ii impediunt veri contemplationem ; ad hæc
 amoribus , cupiditatibus , timoribus , omnisque generis
 simulacris & vanitate nos opplet , ut revera eveniat ,
 quod ille dixit , Nos nihil unquam sapere posse. Bella ,
 seditiones , & pugnas , nulla alia res excitat , quam
 corpus & ejus cupiditates. . . Ac dum vivimus , quam
 fieri potest proxime ad scientiam accedemus , si nihil
 cum corpore rei habeamus , quatenus omnino licet , ne-
 que cum eo quicquam nisi summa urgente necessitate
 communicemus , neque contagio ejus naturæ nos opplea-
 mus , sed ab ea nos puros conservemus , donec ipse nos
 Deus , eo exsolvet , tum demum puri & stultitia corpo-
 rea exonerati , cum Diis erimus omnia nobis ipsis sincera
 cernentes , scilicet ipsam veritatem. Ratio tertia :
 Non ea lege nos in vitam vocatos , ut ipsi ei fines ac ter-
 minos præscribamus : Non enim ea lege (inquit) pag.
 125. in hanc vitam venimus ut ei leges ipsi præscriba-
 mus , sed ut iis obtemperemus quæ decreta sunt ab Uni-
 versi Gubernatoribus Diis & constituta a fato ac Provi-
 dentia. Quarta : Usuram vitæ in breve tempus nobis
 a Diis concessam. Non enim tantum (inquit) ut est
 apud Euripidem

Non propriæ sunt , quas homines tenent opes ,
 sed in universum nihil homo possidet proprium , ac de singu-
 lis usurpare hoc licet.

Res procuramus a Diis nobis creditas ,
 Arbitrio reposcant illi , quas suo.

Quapropter iniquius ferre non debemus , si repetunt
 quo-

rum nobis exigui temporis usuram concesserant, quando ne mensarii quidem, nisi animum pravum gerant, indignantur, ubi apud eos deposita fors repositur, & non promte reddenti dicere posses haud injuria, oblitusne es ea te hac conditione accepisse ut redderes? Idem vero omnibus usu venit hominibus. Vita vobis contingit, Diis eam apud nos fatali deponentibus necessitudine, neque certus est definitus terminus ad quem reddendum sit illud depositum. Quinta Ratio: Quosdam mature ex hac vita revocari, eum in finem ut a gravioribus malis eripiantur; Quis autem novit (inquit) an Deus paterna quadam Providentia & procuracione humani generis cernens, quæ eventura essent, nonnullos immatura morte tollat? ut nihil iis accidisse sentiendum sit, quod fuerit abominandum.

Nibil enim grave est homini quod fert necessitas, siue adeo id præcedente ratiocinatione contingat, siue consequatur, multique matura morte calamitatibus gravioribus subtracti sunt; & utile fuit quibusdam, ut ne nascerentur quidem: aliis ut nati illico extinguerentur; aliis ut aliquantisper viverent, aliis ut in vigore ætatis morerentur. pag. 131. sq. Causam non esse tandem cur doleamus ob immaturam, ut nobis videtur, amicorum mortem, quandoquidem probabile sit mentem post mortem ad summos honores & delicias perventuram: provocat eum in finem ad Pindarum & Platonem. Hæc satis testantur, Plutarchum divinam Providentiam agnovisse. Certe si Epicuri addictus fuisset opinioni, aut omnem Religionem pro fabula habuisset, aut aliter plane locuturus fuisset. Addendum hic, quod idem Plutarchus in libello eleganti de Puerorum educatione agnoscat, naturam bonam, vel indolem etiam bonitati Numinis

Tom. IV. D d esse

esse tribuendam : Sane (inquit) beatus , Diisque acceptus est , cui Deus ista omnia tribuit. Locutus est de tribus virtutibus , quas desideramus in eo , qui ad veræ Eruditionis & Sapientiæ gloriam grassari vult. In Cariolani Vita pag. m. 61. fatetur Deum singulari ratione diversis occasionibus Mentis hominum adficere , iisque adesse. Postquam enim laudasset Homerum , talia de Diis sentientem , addit : aut enim a nostrarum causis actionum atque principiis tollenda prorsus divina sunt , aut quoram alio modo operum adjumentumque ferunt hominibus ? Nec enim Dii nobis corpus effingunt , nec ad res gerendas manus nobis & pedes componunt ac promovent , sed efficaces animi vires atque delectum , quibusdam primum imaginibus & cogitationibus excitant , aut contra avertunt ac reprimunt sistuntque. Pag 821. contra Stoicos disputans , redarguit ipsos , quod afferant , bona corporis quidem a Diis immortalibus hominibus concedi , non item virtutes , aliaque mentis Bona.

VII.

Quartum Argumentorum Genus , quo probamus Plutarchum Providentiam admisisse , petimus ex opinione , quam de Fato habuit : in Libello de Fato pag. 560. varias Fati definitiones ex Platone ut plurimum petitas , adfert , quæ quidem omnes non adeo perspicuæ sunt ; interim de hoc argumento ita loquitur Plutarchus , ut pateat , eum Fati nomine intellexisse Providam Dei circa mundum gubernandum curam , salva manente hominis libertate , quæ istam quidem gubernandi rationem sequitur , at ita , ut spontaneis actionibus suis adhuc relictus sit locus. Eum in finem Fatum confert , cum legibus civilibus , seu voluntate potius Imperantis , qui in genere aliquid vel

vel præcipit, vel vetat; legem illam obligationem ad omnes actiones includere; observantiam autem, aut transgressionem ejus adscribendam esse homini, cujus pœnam aut præmium, a libera Mentis determinatione pendentem, proprie Deus non voluerit, nedum Fatum aliquod constituerit. Est (inquit) fatum simile legi civili; Primum enim si non omnia, tamen pleraque conditione certa mandat. Deinde quidem universa sua potentia complectitur, quæ ad Civitatem pertinent. Quorum utrumque quale sit agendum consideremus. Suo ordine civilis Lex de eo, qui rem fortiter gesserit, & de eo, qui ordinem deseruerit, verba facit, eodemque modo etiam de aliis: non tamen de certis personis, sed quæ universa sunt ea principe loco, consequenter ea, quæ sub iis continentur, proponit. Itaque legibus dicimus esse præceptum, ut ille vel iste ob rem præclare gestam honore afficiatur, alius ob desertam aciem puniatur: scilicet quia lex facultate, & non expressis quidem verbis, sed tamen ita ut istos ea comprehendant, de iis sanxerit. Sicut Medicorum quoque & corporæ exercentium leges singularia in universalibus potestate inclusa proponunt. Ita naturæ etiam Lex universalia primarie ac præcipue, consequenter singularia instituit: ut ista fatalia sint quodammodo, hæc eorum fati omnino adhæreant sintque ut sic dicam Confatalia. - - Videamus nunc quid sit cum conditione poni, quod ex Hypothesi Græcis dicitur: & tale esse fatum monuimus. Poni ergo certa quadam conditione dicitur, quod non per se vel absolute, sed ad aliud relatum, eo posito ponitur ipsum, atque hac ratione judicatur, hoc illius esse consequens. Atqui talis est Arestæ Sanctio. Quicumque animus Dei comes factus aliquid veri perspexerit, is usque ad alteram circuitionem a supplicio sit immu-

nis ; & si possit perpetuo id facere , perpetuo sit illæsus .
 Hoc & universe dictum est & cum conditione . - - Hæc
 ergo enunciatio , siquidem id notat , Fato omnia conti-
 neri , prorsus est concedenda , sive quis de rebus huma-
 nis & terrestribus , sive de cœlestibus velit intelligi . At-
 que hoc in præsentia , quod ad nostram attinet disputa-
 tionem concessum esto . Sin , quod multo magis illa
 vox præ se fert , Fatum non omnia , sed illud potissimum
 significat , quod Fati est consequens ; non dicendum est
 omnia fieri secundum Fatum , ne si comprehenderentur
 quidem fato . Non enim legitima sunt , neque juxta
 leges fiunt omnia , quæ legibus continentur . Nam &
 proditorem & ordinis desertionem , & adulterium ,
 aliaque id genus multa leges complectuntur , quæ legitima
 esse nemo dixerit . - - Eodemque jure illa tantum fata-
 lia censebimus , & fato fieri dicemus , quæ consequun-
 tur Causas in divina dispositione Causarum antegressas .
 Hinc concluditur , omnia quæcumque fiunt , fato con-
 tineri ; multa autem atque adeo pleraque antecedentibus
 Causis effecta , non recte fato addici . Pag. 562 . ex-
 plicat quid sit possibile , impossibile , contingens , &
 necessarium . Hisce definitis sententiam tandem suam
 de Providentia & Fato ita concludit . Pag. 563 . Est
 itaque Providentia suprema quidem & prima , primi
 Dei intelligentia , sive major voluntas benefica erga res
 omnes , qua primum singulæ divinæ res omnino , opti-
 me ac pulcherrime sunt ordinatæ . Secunda vero , se-
 cundorum est Deorum , qui per cœlum ingrediuntur ,
 qua & mortalium res ordinate fiunt & singulorum ge-
 nerum permansio atque Salus procuratur . Tertia non
 absurde dicitur Providentia atque procuratio Genitorum ,
 qui circa terram collocati humanarum sunt Custodes in-
 spectoresque actionum . Cum ergo triplex spectetur Pro-
 videntia , quarum prima præcipue & potissimum sic
 nomi-

*nominatur : non verear dicere , tametsi hoc Philosopho-
rum sententiis repugnans videri poterit , omnia fieri Fato
& Providentia , non etiam natura . Sed quædam fieri
secundum Providentiam , alia quidem secundum aliam ,
quædam juxta fatum ; & fatum omnino subesse Pro-
videntiæ , hanc Fato nequaquam . Sane , si recte
capió mentem Plutarchi , non multum abit a
modernorum Sententia de Fato . Ita enim de hoc
argumento loquitur Cl. Scherlok de Providentia
pag. 99. Editionis Gallicæ . Si par Fatalité on entend
une resolution invariable & constante de la part de Dieu
d'infliger des peines aux criminels , d'assurer des recom-
penses les - Gens de bien : & si la providence est pro-
prement le Ministre , qui met en effet cette resolution ,
nous admettons volontiers une pareille Fatalité : pour
reduire en un mot , tout ce que nous venons de dire :
le Gouvernement de Dieu dans tous les evenemens est si
absolu , que rien ne peut arriver aux hommes que ce
qui lui plait , ce qu'il determine , & ce qu'il ordonne
pour ceux , & cela est nécessaire , pour que l'univers
soit bien gouverné : ceci n'est point un destin aveugle ,
mais un gouvernement sage & équitable . Non inqui-
ram , utrum Plutarchus omnibus dubiis , quæ
circa gravissimum & subtilissimum argumentum
occurrunt , satisfecerit nec ne ; hoc tantum dico ,
quod , si sententiam ipsius de hoc argumento ,
quam hinc inde profert , in summam redigamus ,
patere , Eum quidem omnia Providentiæ subesse
confessum , at ita , ut liberas hominum actiones
a necessitate omni exclusas esse existimarit ; Et
certe hoc omnes , qui de hoc argumento dispu-
tant , videri volunt admittere ; quomodo autem
id probent , diversam ingrediuntur viam . Osten-
demus autem amplius ex Scriptis Plutarchi , ipsum*

asseruisse libertatem seu liberum arbitrium, uti vocant, in homine admittendum esse. In Disputationibus contra Stoicos pag. 608. hanc assertionem propugnat. Pag. 549. ubi agit de exilio, rationes animum obfirmandi contra dolorem repetit, ex libertate nostra qua uti vel abuti possimus. *Duobus enim (inquit) doliis, quæ fatalium eventuum plena Homerus in cælo ait jacere; non Jupiter promus adsidet, ut aliis lenia & temperata, aliis sincera malorum exhibeat fluentia, sed nostrum unusquisque si sapiamus, haurientes de bonis, quo mala temperemus, vitam facimus jucundiorum & tollerabiliorem, cætera tanquam colis aut cribris intus manent atque inhaerent optimis per foramina aut rimas ejectis: Idem fines sapientissimos in Universo admittit. Id non solum patet ex eo, quod Platonis Sententiam circa originem mundi, ejusque administrationem ubique probet; sed & quod omni data occasione agnoscat, sapienter omnia esse facta. Ita in Libello de Frigore pag. 538. prudentissime a Deo frigoris ac caloris vicissitudines atque vim temperatas esse ait. In Libello de Facie in ore Lunæ, probaturus, Lunam terræ nostræ similem esse, argumentatur a finibus Dei. Etenim, (inquit) pag. 772. si nulla mundi pars præter naturam fuit adfecta, sed unum quodque ita jacet, ut natum est, nulla translatione nulla mutatione indigens, quibus ne initio quidem opus habuerit; miror quodnam munus sit Providentiæ, aut quid fecerit Pater ille & artificiosissimus Artifex Jupiter. Non enim in exercitu opus est scientia ordines instruendi, si sua sponte quisque militum noverit suum locum, ordinem & stationem, quam accipere debeat & tueri, neque usus erit hortulanicus, aut qui domos ædificent, si ibi aqua ultro adfluat, plantis rigatione*

rigatione indigentibus : heic lapides , ligna , lateres , naturalibus motionibus pro se in locum concinnitatemque desideratam cœunt. Sin est , ut hec ratio palam tollat Providentiam , Deoque rerum dispositio & divisio convenit : quid mirum sic ordinatam esse & concinnatam naturam , ut heic ignis , ibi astra , rursumque heic terra , superius Luna sit collocata , arctiore rationis quam natura vinculo constricta ? Admisit insuper Plutarchus Genios quosdam , qui Deo in administratione Universi parent ; eorum autem Ministerio putavit opus esse , ne Deus arctius cum materia conjungeretur , quam necesse est , hinc de Oraculorum defectu pag. 266. ita ait : *Quemadmodum igitur , si quis aërem , qui inter terram & Lunam est interjectus , subduceret , is Universi Unitatem ac coherentiam solveret vacuo in medio & nexus experte loco existente : Ita qui Geniorum gentem non admittunt , ii inter Deorum ac hominum res nullum relinquunt commercium , vim interpretem (ut Plato nominat) atque administram perimentes , aut profecto confundere nos omnia & conturbare cogunt , Deum in humanas res & affectiones conjicientes detrahentesque ad usus , quomodo Thessale Lunam deducere cœlo feruntur. Ubique præterea Plutarchus professus est , Deum auctorem mali esse non posse. In disputationibus contra Stoicos habitis , totus in eo est , ut probet , Stoicos Deum facere auctorem peccati , & contra ; hanc Sententiam longissime ab opinione sua remotam esse ait : ita de Stoicorum repugnantibus pag. 603. contra Chrysippum insurgit. At Chrysippus (inquit) ita reprehensiones has deridet , ut*

etiam de Jove Servatore, Genitore, & patre justitiae, equitatis ac pacis in hanc sententiam scripserit libro de Diis tertio; Sicut autem Urbes Civium multitudine abundante colonias aliquo deducunt, ut se exonerent, aut bellum aliquod suscipiunt; ita Deus exitii occasiones suggerit, citatque Euripidem & alios testes, qui dixerunt, bellum Trojanum a Diis fuisse commissum exhauriendae gratia multitudinis hominum. Horum omitto alias absurditates &c. Illud considera eum Deo semper pulchras & ad humanitatem pertinentes tribuere appellationes: facta autem simul saeva barbarica galatica. - - Deiotaro Galatae similem Deum Chrysippus facit, qui cum haberet complures filios, cum vellet uni Regnum domumque relinquere; ceteros omnes necavit. - - Levius est quod dixi, majus quod dicam. Nullum hominibus bellum oritur absque vitio, nam aut voluptatis studium, aut avaritia, aut ambitio, aut regnandi cupiditas bellum conflatur. Ergo si bellorum, etiam peccatorum, auctor est Deus irritans & pervertens homines. Facile esset unum alterumve in gratiam Stoicorum dicere; at nolumus hoc facere; prolixitatem evitaturi; confertur nostra *Dissertatio de Fato Stoicorum* primo Tomo *Musei Bremensis* inserta & quae contra τον Μαχαρίην *Celeb. Buddeum* in *Museo nostro Helvetico* de hoc argumento adduximus. Hoc unum patet, *Plutarchum* longe discedere ab eorum sententiis, qui Deo mala tribuant. Scio omnes, quibuscunque tandem opinionibus addictos, ubi urgentur difficultates, quae ex nexu systematis necessario sequi videntur, clamare, se detestari illam propositionem.

positionem : Deus est auctor peccati : Quo jure sæpe id fiat , jam non quæram ; malunt tales dici , se contra Logicam potius , quam contra Deum peccasse. At ex antecedentibus patet , *Plutarchum* ita de hoc argumento loqui , ut quantum potest , hominibus libertatem agendi vindicet. Haud ignoro , futuros , qui putent , ipsum *Plutarchum* etiam , siquidem opiniones ejus de Providentia urgerentur , non elapsurum. At quis Philosophorum & Theologorum est , qui omnes scrupulos tollere possit ? Systema quod omnibus dubiis a *Baylio* motis ex arte satisfaciat , hactenus repertum non est ; nec forte in hac rerum caligine ejusmodi ab ingeniis humanis effingetur. Viri prudentes dudum , quæ hic cavenda , & in quibus subsistendum monuerunt. Quicquid autem de eo fit , *Plutarchus* non solum Deum auctorem mali esse non posse , contendit ; sed ne ipsum quidem malum ad pulchritudinem , vel perfectionem totius aliquid , quod statuebant *Stoici* , conferre posse asseruit. Ita contra *Stoicos* pag. 813. sq. *Chrysippum* cum primis insurgit dicens : *Sed quis de hoc queratur , memor eorum , quæ in secundo de natura ille scripsit , pronuntians haud inutiliter rebus universis malum extitisse. Et meretur hæc res , ut Decretum illud ipsius verbis proponam ; quo intelligas qui Xenocratem & Speusippum incusant , quia sanitatem negaverint esse e censu indifferentium , neque divitas de inutilium numero , ipsi quo loco vitiositatem ponant , & quid de ea loquantur. Malum (inquit ,) suo termino a reliquis distinguitur accidentibus.*

Existit enim ipsum quodammodo secundum

cundum naturæ rationem (& ut sic dicam) non inutiliter respectu univrsarum rerum , alioquin ne bonum quidem poterat subsistere. Ergo Diis boni nihil est , quando nihil mali ? Et cum Jupiter totam in se ipsum retexens materiam unicus fiet abolitis reliquis differentiis , bonum tunc nullum erit , quia nihil aderit mali ? Enimvero Chorus concinere potest , nemine vitiose canente : & corpus sanum est nullo membro egrotante : Virtus autem absque vitio subsistere nequit ? Sed nimirum sicut quorundam medicamentorum facultatibus virus serpentis aut fel hyenæ admiscere oportet : Ita ad Socratis justitiam requirebatur necessario alicujus mali adjunctio , utpote malitia Meliti & Cleonis petulantia ad Periclis probitatem. Sicut enim (Chrysiippus) Comœdiæ inscriptiones ferunt ridiculas , quæ pro se nullius pretii , toti tamen pœmati aliquid venustatis addunt ; ita ipsum quidem pro se vitium vituperaveris , ad alias res inutile non est. Primum vitium Dei Providentia extitisse , sicut voluntate Poetæ malum Epigramma factum est , tantum absurdi habet , ut absurdius cogitari possit nihil. Nam hoc dato , qui magis Bonorum quam Malorum datores erunt Dii ? quomodo invisum erit flagitium Diis ? quid habebimus quod male ominatis hisce dictis opponamus ?

Causam mortalibus creat aliquam Deus ,
 Cum familiam vult quandam adfligere funditus
 In litem Superum quis tandem compulit istos ?

Deinde malum Epigramma Comœdiam ornat , &
 ad finem consequendum juvat , Poeta spectantibus
 risum

risum movere vel lepidum proponere aliquid cupiente. Ad patrius ille & supremus ac Justitiæ Præses Jupiter optimusque, ut eum Pindarus nominat, artifex non scilicet Drama aliquod magnum & varium multiplici cognitioni serviens, mundum fabricans, sed Urbem Diis hominibusque communem, in qua una vitam exigerens justitia & virtute ductibus concorditer ac feliciter: quorsum ad pulcherrimum hunc finem opus habuit latronibus, homicidis, parricidis, tyrannis? Non enim jucundum Deo exordium aut elegans fuit vitiositas, quæ rebus humanis non facetias, aut risum, sed scurrilitatem, injustitiamque intulit, propter quæ ne somnium quidem decantatæ illius cum natura consensionis videre licet. Præterea ineptum illud Epigramma perexigua est comediæ particula, inque ea minimum plane locum occupat: ac neque abundant talia, neque eorum quæ recte facta videntur cuiquam officiant, aut venustatem ejus corrumpunt. At vitis repleta sunt omnia, totaque vita statim a primordio usque ad coronidem decorum non servans, aberrans a recto cursu conturbata, nullam partem habens puram aut reprehensionis immunem, ut ipsi dicunt, omnium est Dramatum turpissimum & injucundissimum &c. Displicuit hæc responsio Plutarchi Illustri Leibnizio, qui postquam ad locum hunc Chæronensis provocasset, addit hæc verba; Theodicée pag. m. 339. Nous ne connoissons pas assez la nature de l'ancienne Comédie, pour bien entendre ce passage de Chrysippe, mais puisque Plutarque demeure d'accord du fait, il y a lieu de croire, que cette comparaison n'étoit pas mauvaise. Plutarque répond premièrement, que le monde n'est pas comme une pièce de récréation; mais c'est mal répondre. La comparaison consiste seulement dans ce point, une mauvaise partie peut rendre le tout meilleur. Il répond en deuxième lieu, que

que ce mauvais endroit n'est qu'une petite partie de la Comédie, au lieu que la vie humaine fourmille de maux; cette réponse ne vaut rien non plus; car il devoit considerer, que ce, que nous connoissons est aussi une tres petite partie de l'univers. Ut verum fatear, non ita comparata esse videtur responsio *Illustris Viri*, ut nihil cum aliqua veri specie opponere posset *Plutarchi* Defensor. Plutarchus non duas tantum, sed tres potissimum rationes contra Sententiam *Chryssippi* attulit. Prima est, posita veritate Sententiæ *Chryssippi*, sequi esse malum; si enim Deus voluit optimum mundum, isque sine malo esse non potuit, sequitur Deum æque malum ac mundum fieri voluisse, quia mundus sine malo non fuisset perfectissimus: at hoc detrahit divinis virtutibus, & falsum esse videtur. Quod ita potuisset probare *Plutarchus*: Quicquid nullam involvit repugnantiam, id Deus facere potest; at mundus ab imperfectione omni liber, res est, quæ nullam repugnantiam involvit, Ergo Deus talem facere potest. Rursus; Deus non nisi optimum vult; at mundus, ubi mala exulant omnia, optimus est; ergo Deus talem vult. Minor propositio haud difficulter potuisset probari a *Plutarcho*. 2. Ratio *Plutarchi* est, quod mundus a Deo conditus non sit recreationis gratia, aut ut contemplationibus saltem delectationem aliquam adferret. Respondet *Ill. Vir*, comparisonem tantum in eo positam, quod defectus in parte possit facere ad ornatum totius. At responderi posset, errorem in fabula commissum, aut ita necessario pertinere ad perfectionem totius Comœdiæ, ut sine eo, ad rectas leges fabulæ accommodata Comœdia dici non possit; aut Poetam spectato-

rum

rum rationem habentem, ut risum & ineptum applausum excitaret, studio errorem commisisse, aut denique ex ignorantia legum Comœdiæ hoc factum: At quocunque tandem sensu hæc ad Deum generis humani Conditorem transferas, impia esse videntur. Si prius: dicendum, Deum malum tam certo velle debuisse, quam certum est, sine vitio quodam Comœdiam esse non posse; neque etiam verum est, vitium aliquod aut hiatus quendam ad carminis leges, vel Comœdiam necessario postulari. Omnia hic certis, & constantibus regulis dimetienda. Novimus Poetas, si exigua materia impetum refrænet, aut Deos ἀπο μηχανῆς in scenam pertrahere, aut aliud quid immiscere; quod attentionem Auditorum alat. At nemo dicet, hæc ad comœdiæ perfectionem necessario postulari: neque insuper dici potest, veri nominis Poetam, ut quibusdam risum exprimeret, unice curare. Et si delectatio aliqua inde quærenda, potius ex re ipsa, id est totius comœdiæ apta constitutione, quam vero errore quodam ridiculo, & ad naturam fabulæ haud pertinente, haurienda. At si vel maxime unius recreationis gratia aliquid proponat Comicus vel Poeta, quod gratum acceptumque Spectatoribus; hæc tamen comparatio, mea opinione, denuo ad Deum transferri non potest. Certe enim Deus voluptatis gratia mundum non condidit. (2.) Neque Deus, neque probi homines, malis cujuscunque generis delectari possunt. (3.) In malo ipso, utcunque spectato, nulla potest esse delectatio, ornatus nullus. (4.) Deus etiam hominum malorum malis delectantium rationem nullam potest habere, multo minus tandem dici potest,

potest, Deum nescivisse, quid ex condito mundo vel generis humani constitutione secuturum esset. — III. Tandem respondit ad illam comparationem Chryssippi *Plutarchus* quod error ille, forte in fabula commissus, pars tantum sit exigua Comœdiæ; vitam autem humanam omnis generis malis coopertam esse. Cui objectioni occurrere vult *Illustris Vir* eo argumento, quod mala exiguum Universi nobis cogniti partem occupent. Responderi autem potest, nos judicare de iis, quæ scimus, non de illis autem quæ ignota sunt. Omnium Seculorum experientia edocuit, rarissimos esse veræ pietatis cultores, malorum autem innumerabilem turbam. Utrum in aliis mundi hujus partibus v. gr. in *Planetis*, homines sint nobis meliores, ignoramus. Quod si tales sint, nondum tamen videre possumus, qua ratione tot millia hominum pessimorum, tot mala quibus hic noster Globus terrestris scatet ad perfectionem totius mundi aliquid conferre possit. Cæterum hæc non eo animo dico ut *Illustris Leibnizii* Decretis, & ingenio, & Eruditioni insolitæ plane aliquid detraham; nedum ut data opera, de hoc argumento, de quo plus satis disputatum est, cum quoquam ferram contentionis reciprocam; quid *Plutarchus* reponere duntaxat potuerit attendere voluimus. Qui putant, Magnum Virum per omnia satisfecisse dubiis a *Baylio* motis, fruantur illa, qua gaudent luce; malumus nos *ἐπεχειν*. Patet saltem ex his, *Plutarchum* confesum esse, Deum nulla ratione mali posse esse auctorem, quod nobis quidem hætenus sufficit.

VIII.

Restat, ut inquiremus quid de Animæ post mortem statu statuerit *Plutarchus*. Atque hic primo quidem est attendendum quid de *natura Mentis nostræ* senserit. Lib. I. de plac. Philosoph. Cap. 3. Ubi *Pythagoræ* sententiam de natura Mentis nostræ proponit, eam scilicet esse Unitatem quandam, quia Mens quæ percipit, Unitatis in morem percipit, eidem sententiæ videtur assipulari. Vocat enim eam Sententiam *rationi consentaneam*. Pag. 485. agit de *virtute morali* veterumque Philosophorum opinionibus de ea, atque ait, eos in eo omnes consentire, quod virtus in illa parte rationis, quæ ratiocinatur, locum habeat. *In eo (inquit) omnes consentiunt, quod virtutem partis animæ principis affectionem quandam & facultatem ratione partam, aut ipsam potius esse rationem sibi consentientem, firmam atque inexpugnabilem ponunt.* Postea contendit, partem aliam rationis esse *brutam*, aliam *rationalem*, quæ Sententia etiam non multum remota est ab eorum opinione, qui tribus partibus hominem constare contendunt, aut qui saltem inter partes inferiores & superiores facultatum Mentis discrimen faciunt. Sufficit quod exinde pateat, *Plutarchum*, id quod in nobis cogitat, atque ratiocinatur, a corpore distinxisse. Idem affirmat pag. 338. contra *Epicureos* disputans. *At vero (inquit) quid potest absurdius fieri, quam cum duæ sint, e quibus homo componitur partes, corpus & anima, quarum quidem hæc principatum obtinet, corporis proprium quoddam, domesticum & naturæ conveniens esse bonum, nullum animæ? Sed eam desidentem in corpus habere conversos oculos, ejusque affectionibus arridere unaque voluptate & gaudio frui? Ipsam ab initio im-*
mobilem

mobilem omnisque affectionis vacuum nihil omnino habere, quod deligat, quod appetat, quo gaudeat? Aut enim oportuit eos simpliciter Sententiam suam revelantes hominem totum carneum facere, quod nonnulli audent animæ substantiam negantes; aut duas naturas diversas in nobis si relinquunt, proprium utriusque etiam relinquere bonum & malum familiare & alienum. Statum autem Mentium piarum post mortem eleganter describit de Iside & Osiride pag. 375. Hominum autem animæ (inquit) quem habent cum Deo consortii usum, nisi quatenus Philosophiæ adjumento veluti per somnium Intelligentia eum attingunt. At postquam solutæ migraverunt in purum, & visui atque perpeffionibus non obnoxium: ibi tum earum ipse auctor est Deus ab ipso pendentium spectantiumque absque ulla satietate, & desiderantium ineffabilem hominibus pulchritudinem, cujus amore prisca fabula Isidem correptam ait, ea persequenda & potiunda implere res caducas omnibus pulchris atque bonis. Certe non multum abeunt hæc ab oraculorum sacrorum decretis. Utinam Vir doctissimus, disciplinam Christianorum inspexisset: neque enim dubito, quin magis tutam ad illa æternæ felicitatis templa perveniendi invenisset viam, de honore quo animæ Beatorum post mortem adficientur, supra jam ex Consolatione ad Apollonium locum adduximus. In Libello de Genio Socratis pag. 840. existimat, animos Beatorum hominum Genios fieri; animi autem (inquit) ortu liberati & vacantes postmodum a corpore, ut liberi prorsus emissi, Genii sunt, curam hominum gerentes, ut ait Hesiodus, & sicut Athletæ seneclute eis vacationem artis largita, non omne tamen protinus abjiciunt studium & curam corporis; sed delectantur cum alios exerceri vident, exhortantur usque præsto adsunt; ita

confectis

confeſſis vitæ ærumnis animi ob præſtantiam in Genioſ
verſi , non plane deſpicient res humanas hominumque ra-
tiones & ſtudia ; ſed propitii iis , qui eundem finem af-
feſtant , adjuvant eorum conatus ; incitantes & provehen-
tes , cum eos vident propinqua ſpe contendere ad finem
eumque jam attingere. Pag. 385. non ſolum animas im-
mortales eſſe contra Epicurum contendit , ſed & hanc
ipſam veritatem cum perſuaſione de Providentia
arctiſſime eſſe conjunctam. Una igitur (inquit)
eademque ratione & Providentia Dei & animæ huma-
næ permansio ſtabilitur : neque poteſt relinqui altero ſub-
lato alterum. Ergo animæ poſt mortem extanti magis
probabile eſt vel præmia vel pœnas reddi , vitam enim
quaſi certamen quoddam obit , & certamine peracto con-
ſequitur quod meruit.

IX.

Atque hæc ſunt quæ hinc inde ex Plutarchi li-
bris collegimus , ad deſenſionem Ipſius haud pa-
rum mea opinione facientia. Fateor me haud ne-
gligenter doctiſſimi Viri ſcripta evolventem , pau-
ca reperiſſe , quæ offendere , aut impietatis eum
ſuſpectum facere poſſent : Nec reticebo tamen ,
quæ mihi cognita ſunt. In Libello de *audiendis*
Poetis pag. 12. ait , haud facile eſſe credenda ea ,
quæ Poetæ de Inferis docent , figmentis quam vero
ſimiliora. Jam illæ (inquit) apud Inferos Portento-
rum fictiones & diſpoſitiones , quæ terribilibus nomini-
bus ſpectra fabricantur ardentium fluminum , locorum
horribilium & terribilium ſuppliciorum , fere ab omni-
bus deprehenduntur eſſe fabuloſæ admodum , & in qui-
bus tanquam alimentis venenum , ita mendacium ſit
admixtum. Ex his quidam colligunt , eum pœ-
nas omnes , malis poſt mortem exſpectandas ,

explosisse. At qui sine partium studio hæc legit, non solum vituperio dignum non putabit *Plutarchum*, sed potius nihil magis vero congruum esse, asseret; non negat *Plutarchus* pœnis impios post mortem iri adfectum; sed varios pœnarum, a Poetis excogitatarum, modos ac rationes explodit, & quis sanæ mentis eum hac in parte culpabit? Sunt quidam, artis ratiocinandi, & veræ Theologiæ ignari, superstitione item & pictorum tabulis decepti, qui ad plebem terrendam & in officio continendam vix sibi satisfaciunt in enarrandis variarum pœnarum, quibus impii subjiciendi sint, generibus; quæ tamen nemini sanæ Mentis metum solent incutere; certe ita de hoc argumento sæpe loquuntur, nonnulli ac si nudius demum tertius ex orco venissent, & oculis suis tragœdiam illam usurpassent. Præstaret sane, si quavis data occasione, virtutis præcellentiam atque vim ob oculos ponerent, eamque efficacissimis argumentis omnium ingenio attemperatis, commendarent; non nego aliquando etiam gravissimas illas pœnas, quæ manent homines pravis vitiis immerfos, ob oculos hominibus esse ponendas. At nunquam res est ultra modum exaggeranda, aut fingendæ pœnæ, quæ nullibi sunt aut saltem nobis ignotæ. Plus semper valebit perspicua, gravis, & argumentis solidis superstructa argumentatio, quam terriculamentorum illorum repræsentatio. Hoc malum adaugent aliquando *Pictores*, qui ut ultimi illius & decretorii Judicii, cujus S. Litteræ mentionem faciunt, aliquam exhibeant imaginem vel typum, nullos ponunt imaginationi limites, quas ipsas tamen formidolosas & tetras imagines aliquando Liberis suis pa-
rum

rum cauti & male sani Parentes spectandas exhibent, ad pietatem eos, ut putant fortissime hac ratione stimulaturi, quod tamen pietatis studio potius obest quam prodest. Cum enim veræ pietatis imaginem nondum animis suis infixerint, frustra terriculamenta illa proponuntur; quamprimum vero adolescunt, atque rationem excolunt, pulchre deprehendunt, varias illas pœnarum imagines in Pictorum cerebro, non alibi, locum habere. Inde sæpe dubitare incipiunt de pœnarum ipsarum veritate; quid igitur mirum, si Viri prudentes ejusmodi fabulas proscribunt? Religio non opus habet mendaciis & figmentis. Satis præsidii in ejus divina indole reperitur. Provocant insuper, qui Plutarchum impietatis reum peragunt ad locum, qui extat pag. 165. de *Superstitione*, in quo ita *Chæronensis*: *Omnibus hominibus vitæ finis est mors: Superstitioni ne ea quidem: profert enim hæc suos terminos ultra vitæ exitum, metumque vita diuturniorem facit, annectitque morti malorum cogitationem immortalium, etiam tum cum solvitur malis, ingredi se putans in mala nullum habitura finem. Orci nescio cujus portæ aperiuntur profunda & fluvii simul, ignis stygisque panduntur rivi, tenebræque obducuntur visis multis refertæ Simulacrorum adspectu terribilium ac voces horrendas emittentium, tum judices & carnifices hiatusque penetralia malis infinitis plena.* At nec hic locus probat, Eum omnes pœnas malis post vitam irrogandas negasse, agit de homine superstioso, qui infinitas & varias pœnas, quas Poetæ finxerunt, metuit, non de homine prudente. At infinitas tamen illas pœnas fore infitiatur, ita est. Sed quibus rationibus ex solius rationis Decretis petitis probabitur, eas fore infinitas? Non

quæritur hic quid S. Litteræ de hoc argumento testentur, sed quid Ratio sola in examine hujus quæstionis valeat. At de hoc jam non agimus, non igitur sequitur: *Plutarchus* pœnas illas, neque *infinitas*, neque ad mentem Poetarum descriptas admisit; ergo nullas admisit, hinc *Idem* de *animi tranquillitate* pag. 421. *At qui animæ* (inquit) *naturam utcunque didicit, reputatque eam morte vel in meliorem vel saltem nihilo pejorem statum abire, is vacuitatem metus adversus mortem non exiguum habet ad tranquillitatem animi in via Viaticum.* Videtur itaque existumasse *Plutarchus*, impios aliquas pœnas, sed facile tolerabiles experturos, atque vitam illam ærumnosam aliqua ex parte loco pœnæ fore; certi nihil hoc de argumento tradi posse sine dubio credidit D. Vir.

Alii suspectum eum reddere volunt, ex eo, quod *Providentiam* nimirum aperte negaverit: provocant ad locum de placit. Philosoph. Lib. I. cap. 7. ubi ita: *Et Euripides Tragicus Poeta aperte quidem profiteri hanc sententiam non est ausus, metuens Ariopagiticum Judicium; indicavit tamen hac ratione. Sisyphum introduxit, qui eam proferret, ipseque ei patrocinatus est.*

*Incondita olim vita fuit mortalium
Et belluina viribusque serviens.*

Legibus deinde positis, ait injustitiam esse repressam. Sed cum hæ aperta possent flagitia prohibere, multi autem occulte scelera perpetrarent, tum quendam callidum virum prodisse, qui docuerit veritati tenebras mendacio offundendas, hominibusque persuadendum esse

Quod

*Quod sit perenni vita vigens aliquis Deus
Qui cernat ista & audiat atque intelligat.*

*Nugæ enim Poetarum valeant una cum Callimacho cujus
hoc est.*

*Esse Deum si credis , & hoc te scire necesse est ,
Nil non hunc etiam posse Deum facere.*

*Non enim potest Deus omnia facere , aut faciat si est
Deus nivem nigram , ignem frigidum , rectum eum qui
sedet vel contra. Nam Plato etiam vocalis ille , cum
diceret Deum se ipso usum exemplari condidisse mundum ,
nævias redolet prisca antiquitatis obsoletas , becceselenas
vetus Comœdia vocat. Quomodo enim finxit in se ip-
sum intuens , aut qui globosus est Deus & homine infe-
rior. Certe si hæc esset genuina Plutarchi senten-
tia , apertus esset Atheus. At præterquam quod
omnibus aliis in locis in quibus hoc de argumento
agit , contraria his sentiat , incertum plane est ,
utrum hæc sint ipsi tribuenda Plutarcho : Dudum
enim Eruditi notarunt non omnia quæ in hoc li-
bello reperiuntur Plutarcho adscribi posse. Sar-
castice potius hominem Atheum ridere , quam
suammetipse sententiam proferre videtur. Hinc
statim in sequentibus Anaxagoram laudat , quod
materiæ adjunxerit Mentem : de quo tamen supra
aliquid nos dixisse recordamur. Meminit hujus
objectionis Euripidi factæ Doctissimus Interpres ,
Josua Barnesius pag. 492. atque monet , veteres
jam de Auctore horum versuum dubitasse. At
si vel maxime concederemus Plutarcho , Euripidem
horum versuum auctorem esse , num inde jam
sine ulteriore examine statuendum , ex animi sui*

sententia locutum *Euripidem*? Quis nescit το προπον in ejusmodi locis esse observandum, nec omnes omnia decere? Decuit Sisyphum famosum *Prædonem* ita loqui, uti loquentem induxit Poeta, hinc etiam vetus Comicus *Xenon*, quem citat *Barnesius*, de *Uropiis*, e quorum numero erat Sisyphus ait: κακον τελος γενοιτο τοις Ὀρωπιοις. παντες τελωναι παντες εισιν Ἀρπαγες. Hinc Vir Doctissimus, *Alb. Fabricius* in notis ad *Sextum* recte ait: iniquum est velle Poetam pro Atheo atque impio habere, propter pauca quædam sub Impiorum persona in theatro proposita Sisyphi alicujus aut *Bellerophontis*, & non velle eum excusare vel defendere propter innumera ubique dicta pie & præclarissime. De hisce insuper versibus videndus est *Bayle* voce *Critias* & *Cl. Moshemius* ad *Cudworth*. Tom. II. pag. 797. uterque existimat, *Critiam* non esse auctorem horum versuum, sed *Euripidem*; rationes autem quas adduxerunt, omni exceptione majores non sunt. Interim si vel maxime *Euripidi* tribuantur; Atheismi tamen ideo postulari non posse Poetam vidit *Baylius* pag. 229. dicens. Il auroit du (de *Petito* loquitur) alléguer que c'est assez la coutume d'*Euripide* d'emmener des personnages sur la scene qui debitent des Impietes. Son *Bellerophon* investive le plus hardiment du monde contre la divine Providence, & conclut à la nier, vu les desordres qui se voient dans l'univers & l'oppression continue de l'innocence. Doctissimus vero *Moshemius* Lib. cit. pag. 1175. sq. Poetam ab Impietatis crimine liberum existimat. Quod nos pluribus probavimus in dissertatione de *Theologia Euripidis*.

Neque proluxa refutatione mihi digna videtur ob-
jectio *Molinæi*, vel eo nomine *Plutarchum* accu-
santis,

fantis, quod nimirum *Superstitionem* minus tollerabilem esse, quam *Atheismum* asseruerit. Vide quid breviter ad hanc objectionem responderint *Cl. Fabricius* *Bibl. Gr. Lib. IV.* & *Buddeus* de *Superstitione & Atheismo*; ut ea taceam, quæ prolixè de hoc argumento differuit *Baylius*, & qui contra ipsum ob hanc opinionem defensitatem insurrexerunt. Nemo non videt, ineptam planè esse hanc argumentationem: Hic vel ille credit *Atheismum* malum esse magis tolerabile quam *Superstitionem*; Ergo ipse *Atheismum* defendit. Atque hæc ad defendendum *Plutarchum* sufficere videntur. De vita ipsius, scriptisque, consulendus *Clarissimus & Amicissimus noster Brukerus*, *Hist. Crit. Philosophiæ*, opere ætatem laturo, *Tom. II. pag. 178. seq.*

T A N T U M.



Corrigenda

in Disfertat. de Religione Plutarchi Part. XV.

Pag. 283. lin. 16. adde: Inter Atheos & supersticiosos.

Pag. 409. divitas; lege divitias.

Pag. 414. attendere; lege ostendere.

Pag. 416. lin. 8. hæc adde; quamdiu a corporibus
& affectionibus continentur, nihil cum Deo
confortii.

Ibid. pro voce Auctor; lege Ductor.